



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 1. De Prima unione per memoriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

nulli, quadruplicem esse unionem, per quam Homo perfectissime cum DEO unitur, & eo, quantum in hac vita fieri potest, perfecte fruitur, de quibus in sequentibus §§. fusius non-nihil agendum.

§. I.

De prima unione per memoriam.

I. Hæc unio in eo consistit, ut jugiter DEVS in memoria, quantum humana fragilitas patitur, habeatur; sicut enim beatitudo perfecta in cœlis in perpetua visione, & jugi memoria DEI consistit; ita beatitudo inchoata hujus vitæ tantò major censi debet, quantò propius ad eorundem felicem statum per similem divinæ præsentia memoriam accesserit. Ita sanè Regius vates Psal. 15. de seipso fatetur: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris meus est mihi, ne commovear.* Hinc & alios ad exemplum suum imitandum hortatur Pl. 104. dicens: *Quarite Dominum, & confirmamini: quarite faciem eius semper.* Quid autem est facies DEI, nisi præsentia DEI? inquit S. Augustinus in hunc Psalmum, *Quid est faciem DEI querere, nisi in eius præsentia converso in ipsum corde semper incedere, sicque, ut S. Bonaventura & Hischius apud Rodriquez p. 1. tr. 6. loquuntur, beatitudinem in hac vita inchoare?* Neque hæc adeò difficile cuiquam accidere debere, vel ex ipso ferventer amantium exemplo satis liquet, quibus adeò proprium est hanc assiduam amati memoriam animo fovere, ut commune hinc exortum sit axioma, quo dicitur, animam magis, ubi amat, quam ubi animat, habitare; quantò magis similem effectum amori divinò longe perfectiori concedere oportebit? maximè cum ipse DEVS indefinenti sua beneficentia & liberalitate ad tantam memoriam invitet, quemadmodum S. Ambrosius advertit dicens lib. de condit. dign. hum. cap. 2. *Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur DEI bonitate & misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo cum præsentem non habeat in memoria.*

II. Porro memoriæ hujus continuæ fovendæ varij asservantur modi ab Ascetis. Nam 1. ajunt per *imaginationem* præseque; quatenus scilicet quis DEVM ut spheram, se verò velut

velut centrum hujus sphaerae: vel ut atomum luce
circumfusum; vel ut spongiam mari immerfam imaginatam.
2. Per elevationem; quatenus scilicet mens humana ex
creatis rebus ad Conditorum ascendit, quemadmodum
videtur Eccl. 43. hortatur dicens: *Vide arcum, & benedice
qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo.* Et
Sap. 13. *Quorum si specie delectati Deos putaverunt; quan-
to his Dominator eorum speciosior est, speciosior enim
Dator hac omnia constituit.* 3. Per cordis inspec-
tionem. DEVS intra cor humanum praesens, nostri curam gerens
bona communicans, & intima quaeque desideria intrin-
sece representatur juxta illud Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium
tuum: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam,
veniam intro, & cenabo cum illo, & ipse mecum.* 4. Per
restitutionem omnium actionum ad majorem gloriam DEI
dem non solum clarissime conspicientis, sed etiam
ei titulo vendicantis: quem modum S. Paulus 1. Cor.
13. *si quis manducatis, sive bibitis,
aliquid quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Et
Rodriguez p. 1. tr. 6. c. 4. ex omnibus aliis fac-
tibus suavissimum, & utilissimum esse censet, ad mem-
oriam DEI jugiter & fructuose fovendam, modò haec cautela
adhibeatur, ut non in ipsa praesentia sola velut in termino per-
sistat, sed eadem ulterius dirigatur ad actiones in consp-
ctionem DEI ac Domini rectè, decentèrque obeundas.

§. II

De secunda unione per intellectum

I. Celebre Philosophorum scitum est, objectum
ipsam vel per speciem suam intellectui conjunctum
quodammodo fieri, quod usque adeò verum esse
credunt Theologi, ut ipsam etiam beatitudinem
intellectus, scilicet visione & contemplatione DEI
putent. Merito ergo iterum tantò magis Homo
unus DEO, quantò propius ad felicitatem
ipsius Divinitatis contemplationem accesserit.
dem Contemplatione fusissime passim Afecta
tamen, quidquid de ea dici potest, magis exper-